DE

RECITATIONE POETARUM APUD ROMANOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINII

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

THEODORUS HERWIG,
RINTELIENSIS.

BURGI HA SORUM

MDCCCLXIV.

Typis Trœmneri & Dietrici Cassellis.

Disseram de illo recitandi apud Romanos more *), quo scriptores sua ipsorum scripta convocato auditorio legebant aut publice, ut politissimo atque illustrissimo cuique aditus pateret, aut in coetu familiarium vel eruditorum hominum haud ita multorum. Publicis recitationibus homines infimae sortis haud dubie non intererant, nisi qui ad plaudendum conducti erant, quod haud raro factum est. Tenues enim homines cum omni tempore tum Romae ea aetate qua recitandi mos florebat, et studio et intelligentia ab eleganti urbanoque scriptorum dicendi genere tam alieni erant, ut neque utilitatem neque voluptatem ex recitationibus percipere possent, quam ob rem longe aliis rebus operam dabant. Etiam eorum locorum ubi recitari solebat angustiae infinitae auditorum multitudini aditum non permittebant. Itaque, quum publice recitaretur, maxime homines politioris humanitatis et genere opibusque eminentes audiebant. Paullulo diversum genus recitationum eae erant ad quas scriptor certos electosque, non solos amicos, sed plures quos auditione dignaretur, advocabat. Hae quoque si non publicae, semipublicae saltem appellari possunt. Nam quum quis recitaturus artum circulum cognatorum, familiarium, notorum hominum egreditur, in publico est, qua in re parvi refert singulos nominatim et in privatam domum invitari. Contra pri-

*) Ex antiquitatis potissimum monumentis conquisivi quae ad propositum argumentum pertinerent, nec non iis quae recentiores homines docti de recitationibus exposuerunt usus sum, quoad copia librorum suppeditabat. Scripserunt autem de recitandi more: Wiedeburg Humanist. Magazin Helmst. 1792. t. IV. p. 297—334, Thorbecke de Asinii Polionis vita et stud. Lugd. Bat. 1820. p. 104—107, E. Ch. W. Weber de poetarum Lat. recitationibus. Vimar. 1828, Nisard Etudes sur les poëtes Latins de la décadence. Brux. 1834 p. 334—337 et 380—390, M. Hertz, Schriftsteller und Publicum in Rom. Berol. 1853 p. 32—41, Lipsius epist. ad Belgas II., ep. 48, Gierig in excurs. I. ad Plin. Ep. t. II. p. 538, alii qui l. l. a Webero l. l. p. 1 citantur.

vatas recitationes eas dicamus, quas scriptores coram familiarium grege vel viris aequalium studiorum vinculo sibi junctis habuerunt *). Alterum genus ab altero differebat etiam fine quem recitator persequebatur. Qui enim publice recitabant, famam potissimum petebant, opera sua, quo facilius emerentur, populo nota facere cupiebant, ejus de literis judicium corrigi volebant, nonnulli auditorum judicio ad emendanda scripta utebantur. Sed in privatis recitationibus censurae ratio longissime praevaluit et fere unicum consilium fuit, ut auditorum judicio emendatio scriptis quaereretur; praeterea ex recitatione sermones nectebantur, quibus amici vel collegii sodales in universum quae recta ac prava in literis essent dijudicabant, alia quae de iis sentiebant inter se communicabant.

Sua ipsorum scripta auditorio convocato scriptores legisse supra dixi, ut indicarem eas recitationes huc non pertinere, quae apud Martialem in epigr. l. VII. ep. 50 et in Gellii Noct. Att. XVIII, 5 attinguntur. Priore enim loco Martialis Urbico amico: „Si Auctum rogas, inquit, ut carmina mea tibi legat, hic ad coenam te invitabit atque supra fastidium tibi recitabit"; sive hic Auctus Martialis carmina ita adamavit, ut quasi sua essent quam plurimis recitare cuperet, sive studio amici ad eam rem permotus est. Gellii locus hic est: „Atque ibi Puteolis tunc Juliano nuntiatur anagnosten quendam non indoctum hominem voce admodum scita et canora Ennii Annales legere ad populum in theatro"; unde patet hunc Ennianistam (sic enim se appellabat, ut paullo infra l. l. narratur), libertum fortasse, carmina Ennii publice in theatro legisse. Idem Ennii carminibus jam Cratetis Mallotae tempore eoque ipso auctore evenisse Suetonius (de ill. gramm. c. 2) his verbis narrat: „Qu. Varguntejus Annales Ennii certis diebus magna frequentia pronuntiabat"; et sic alii in aliis scriptoribus tunc faciebant hoc laudabili consilio, ut eorum opera legendo populo nota fierent, quod Suetonius adjicit. Simillima etiam illa histrionalis recitatio erat, quae Augusti Caesaris tempore saepe commemoratur quaeque ea ratione fiebat, ut certi homines qui huic ipsi rei operam dabant poetarum scripta publice, plerumque in theatro, pronuntiarent cum gestu et motu accommodato, quod

---

*) Quum in veteribus scriptoribus plus centum locos numeraverim quibus de recitationum more agitur, tantum XXIV fere inter hos sunt qui diserte publicas significent. Quae declarantur ex. gr. verbis: vulgo recitare, recitare cuivis coramve quibus libet, recitare in medio foro, spissis theatris recitare (Horat.); populo legere (Ovid.); recitare populo (Pers.); turbae togatae recitare (Mart.); libidine vulgi audiri (Juven); recitare ingenti adhibito auditorio, frequenti auditorio historiam etc. committere (Plin.); magna frequentia audiri (Suet.). Sed in plurimis locis vox recitandi reperitur nulla re aut voce addita unde cognoscas, utrum genus recitationum interpreteris. Hanc ob rem et quia multa de privatis recitationibus dicenda in publicas quoque cadunt, in iis quae sequuntur nonnunquam promiscue de utroque genere disputabitur

ex nomine saltandi *) quo haec res significatur satis apparet. Hujusmodi recitationis exempla inveniuntur in dialogo de causs. corr. eloqu. c. 13; cf. Serv. ad Virg. Ecl. VII, 11; Donat. vit. Virg. XI, 41; Ovid. Trist. V, 7, 25; II, 517—520. Sed huc non pertinet, quod Plinius (ep. IX, 34) consilium cepit liberto suo carminum suorum recitatore utendi, quum se ipsum carmina male pronuntiare comperisset, itemque quod Caesar Augustus libri sui, cui erat titulus Rescripta Bruto de Catone, maxima parte in coetu familiarium perlecta reliqua Tiberium recitare jussit, quum recitatione continua nimis fatigatus esset (Suet. vit. Aug. c. 85); et quod Claudius imperator assidue recitavit per lectorem (Suet. Claud. c. 41). Nam in his exemplis alii quidem atque carminum auctores recitant, sed ipsorum jussu, qui alienis tantum vocibus utuntur, ceterum eodem consilio et eventu ac si ipsi recitarent. Declamationes vero, quae et ipsae ostentationis caussa coram auditorio fiebant (cf. M. Sen. controv. V praef., controv. IV praef.; Suet. Ner. c. 10; Thorbecke de Asin. Pol. p. 88—104) nemo cum recitationibus confundet, quum istae ab orationibus habendis nisi argumento ficto et auditorio non distulerint et in iis summi momenti actio fuerit. At recitationes de scripto fiebant et in iis minus momenti in pronuntiatione quam in ipso carmine vel libro positum erat.

Quamquam de recitatione p o e t a r u m inscripsi hanc quaestionem, quod ob eam caussam factum est, quia poetae earum auctores atque apud eos maxime illae in usu semper fuerunt: aliorum tamen scriptorum recitationes minime ex hac disputatione sunt excludendae. Nam non solum carmina (comoediae quoque Plinio ep. VI, 21 teste et tragoediae secundum dial. de orat. c. 11), sed etiam historiae, orationes **), dialogi recitabantur (cf. Suet. Aug. c. 89, M. Sen. controv. V. praef., L. Sen. ep. 95; de ira III, 23, 2; Plin. ep. II, 19; III, 18; Ael. Lamprid. vit. Alex. Sev. c. 35 v. 44; Plin. ep. VII, 17; IV, 7; I, 5), et L. Seneca (ep. VII extr., ep. 52) ostendit etiam philosophos publice recitasse.

Ortus est recitationum mos apud Romanos. Nam cantus, quos apud Homerum divini illi vates Phemius, Demodocus in aedibus principum ex tempore fuderunt, nemo cum Romanorum recitationibus comparabit, neque fabulis de Homero ipso carmina sua Phocaeae in leschis canente aliquid tribuendum est. Non magis huc pertinent rhapsodi, ut qui a l i o r u m carmina memoriter atque ita, ut recitantes ad cantus similitudinem prope accederent, po-

---

*) Errat Wiedeburg, qui (Humanist. Magazin t. IV. p. 319) voces cantandi et saltandi de histrionali recitatione intelligendas proprie dictas esse putet; cf. Weichert poet. Lat. rell. p. 285 sqq.

**) Plinius in Ep. IV, 16 de oratione apud centumviros h a b i t a non recitata, et IX, 15 de tacita orationis lectione, non de recitatione loquitur; haec contra Wiedeburg. l. l. p. 323.

pulo audiente pronuntiarint. At nonne Herodotus Olympiae, Corinthi, Athenis scripta sua publice recitavit? De veritate hujus narrationis ambigitur, quamvis eam C. W. Krueger (Untersuch. über das Leben des Thucyd. p. 11 sqq.) argumentis satis acutis tuitus sit. Xenophanes quidem Graeciae urbes circumiens carmen suum περὶ φύσεως cantasse dicitur. Et Cicero (in Bruto c. 51) de Antimacho haec refert: „Antimachum dixisse ferunt, cum convocatis auditoribus legeret magnum illud quod novistis volumen suum [Thebaida] et eum legentem omnes praeter Platonem reliquissent, legam, inquit, nihilominus; Plato enim mihi unus instar est omnium.“ Denique Athenaeus (XIII init. p. 555) Antiphanem Alexandro cemoediam quandam suam recitavisse tradit. Sed ex eo, quod perpauca tantum hujus rei vestigia apud Graecos occurrunt, recte colligitur recitationes apud eos minime in usum vertisse *). Quominus scriptores graeci inter se emendationis mutuae caussa recitarent, id impediebat, quod ii per omnes partes Graeciae dispersi difficilius congregari poterant, deinde quod Graeci natura non ita inclinabant ad conjunctionem et societatem. Defuerunt insuper isti Maecenates, sub quorum tutela plures homines literas colentes, ut ejusdem patroni clientes, averso inter se animo permanere non possent. Quem vero locum apud Romanos recitationes publicae, eum apud Graecos posterioris aetatis declamationes sophistarum obtinuerunt, et quo modo recitatores Romani eorumque auditores, eodem fere sophistae quique eos audiebant se gessisse traduntur (cf. Gronov. thes. ant. Graec. t. X p. 126 sqq.) **).

Romae ut omnino literæ perdiu inter arma bellaque siluerunt, ita recitationes quoque sero demum haberi coeptae sunt. Prima enim earum commemoratio de Attio est, tragico illo poeta, qui secundi a Ch. n. seculi media et extrema parte floruit. Quod quidem Gellius prodit (Noct. Att. XIII, 2): „Cum Pacuvius grandi jam aetate et morbo corporis diutino affectus Tarentum ex urbe Roma concessisset; Attius tunc haud parvo junior proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium; comiterque invitatus plusculisque ab eo diebus retentus tragoediam suam, cui nomen Atreus est, desideranti legit“: hoc parum

---

*) Wiedeburg in l. l. p. 301 et Weber in l. l. p. 4 Romanos dicunt morem recitationum accepisse a Graecis, apud quos eae usque ad ultima tempora usitatae fuerint. Testimonia hanc sententiam probantia illi non afferunt neque ipse reperire potui.

**) Apud nostrates quamquam prioribus temporibus recitationes privatae in collegiis poetarum haud rarae fuerunt, recentiore aetate, quum poetae societates coire non soleant et ceteri homines poetas carmina sua recitantes plerumque moleste ferant, nonnisi eae recitationes frequentes sunt, quibus aut viri arte pronuntiandi eminentes (ut olim Holteius) poemata aliorum, aut viri docti libellos suos de rebus ad artes optimas pertinentibus scriptos publice legunt. Qui arte poetica famam sectantur, ad artem typographicam decurrunt, quae opera eorum celerrime ac latissime vulgat.

in hac quaestione nos juvat. Nam recitatio, siquidem hoc vocabulo rem supra descriptam significamus, dici non potest ea, quae uno tantum audiente et fortuito magis quam consilio instituta est, quamquam ex illa re colligi potest poetis eo tempore aliorum studia curae fuisse. Accedit autem aliud testimonium, cui si fides haberi potest, iis temporibus recitationes jam exstitisse certum est. Valerius Maximus enim III, 7, 11 haec tradit: „Is (Accius poeta) Julio Caesari amplissimo et florentissimo viro in collegium poetarum venienti nunquam assurrexit, non majestatis ejus immemor, sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret.“ De illo J. Caesare quis fuerit quum dubitari possit, id plane apertum videtur, dictatorem et triumvirum non dici. Nam primum clarus ille poeta Accius longe alio tempore vixit et nemo alius poeta, cui Accius nomen, tempore Caesaris dictatoris, quod sciamus, exstitit; deinde quum Suetonio (Caes. c. 56) teste Caesar ea aetate, qua jam amplissimus vir dici posset, poeticis studiis nullam operam daret, nisi quod carmen Iter inscriptum faceret: collegiis poetarum frequentandis tempus consumsisse non videtur. Melius omnia inter se consentiunt, si C. Julium Caesarem Strabonem dici statuimus, de quo Ascon. Pedianus (ad Cic. or. pro Scauro): „Cajus aedilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut caussa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno fuerit“ (cf. Weichert de poet. lat. reliqu. p. 127); tum media hujus aetas in extremam partem vitae Accii incidere potuit (cf. Bernhardy Grundriss der röm. Lit. p. 391); accedit quod hic Caesar etiam tragicus poeta non ignobilis fuit teste Cicerone (in Brut. c. 75) et Asconio Pediano qui (l. l.) scribit: „Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est; hujus sunt enim tragoediae quae inscribuntur Julii.“ Si igitur Val. Maximi testimonium sequamur, jam sub finem seculi II. a. Ch. collegium poetarum exstitit, quorum conventus haud dubie eo consilio instituebantur, ut poetae carmina sua recitantes judicio aliorum docerentur. Nec profecto ista narratio ab illis temporibus abhorret, quippe quibus literae juvenili quodam vigore florerent. Sed de publicis recitationibus ejus aetatis non cogitandum est, non solum quod nihil de iis memoriae traditum est, sed etiam propterea quod tunc literae populo contemptui erant ita, ut funambulum quam Terenti comoedias spectare mallet et clarissimi oratores ne displicerent eruditionem suam diligentissime populum celarent. Privatae illae recitationes, si tunc exstiterunt, civilium bellorum tempestatibus abolevisse videntur.

Horatii demum tempore rursus in usu fuerunt, quod ex ejus Sat. I., 4, 73. aliisque locis apparet, et deinde per primum seculum p. Ch. n. ultraque floruerunt. Eodem illo tempore intra XL. et XXX. annum a. Ch. recitationes publicae primum prodire coeperunt (Hor. Sat. I., 4, 22; 73—75; Ep. I., 19, 37—42 etc.)

Quarum auctor Asinius Polio *) a. M. Seneca (exc. controv. IV. praef.) nominatur his verbis: „Polio Asinius nunquam admissa multitudine declamavit: nec illi ambitio in studio defuit. Primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit.“ Quibus verbis recitationes privatas non significari manifestum est; nam tales jam ante Asinium exstiterunt; quod quum certe Seneca sciret, Asinium primum omnium Romanorum recitasse dicere non debuit, si locus de privatis recitationibus interpretandus esset. Etiam verba „advocatis hominibus,“ quippe quae praecedentibus „admissa multitudine“ respondeant, recitationem coram amicis vel viris studiorum vinculo cum Polione conjunctis habitam intelligi vetant. Denique amicis recitans ambitionem, de qua Seneca loquitur, explere non potuit. Sed utrum aditus ad Polionis recitationes cuivis patuerit, an hic certos electosque, non solos amicos et familiares, sed plures quos auditione dignaretur, convocaverit, dijudicare non audeo. Recitationi quidem plane publicae vox advocandi non repugnat, quum homines ita „advocari“ possent, ut omnes intromitterentur qui vellent (cf. locutionem: advocare populum in concionem), et insuper talem interpretationem poscunt verba praecedentia: „admissa multitudine“ quae idem fere significare atque „advocatis hominibus“ necesse est. Attamen res etiam ita se habere potuit, ut, quod Hertz (Schriftsteller und Publicum in Rom p. 32) censet, Asinius, ne homines maligni successui recitationis obessent, numerum majorem virorum politorum eligeret, illa igitur semipublica, non privata esset. Quodsi vero Hertz l. l., Wiedeburg (humanist. Magazin t. IV. p. 303 sq.), Thorbecke (de Asin. Pol. p. 105 sq.), Weber (de recit. p. 4) rem novam ab Asinio inductam advocando demum, h. e. solenni quadam invitatione contineri censent, publicas igitur recitationes jam antea in usu fuisse: ego quidem de hac re longe aliter sentio. Wiedeburg enim Polionem non primum publice recitavisse existimat, quoniam Livius Andronicus, Ennius secundum Suetonium de illustr. gramm. c. 1., Attius secundum Gellium XIII., 2, Archias teste Cicerone pro Arch. c. 3. recitaverint, et Cicero quoque de off. I., 41 publice coram frequenti auditorio recitatum esse ajat. At, si locos allatos recte intelligo, recitationes Livii Andronici, Ennii ad institutionem grammaticam pertinuerunt neque eae fuerunt de quibus hoc loco agitur; Attius soli Pacuvio recitavit; neque magis Archiae recitationes nostram quaestionem tangunt, et locus Ciceronis de off. I. 41 omnino de recitationibus non interpretandus est, quum eum qui opera poetarum reprehendere velit ea non audivisse, sed legisse tantum necesse sit. — Porro Thorbecke haec scribit: „Quae verba Senecae si capiamus de conditis ab Asinio recitationibus publicis aut de talium conventuum institutione ad quos jam plures convocarentur quibusque laudis major quam cen-

*) Polio: cf. Lachm. ad Lucret. I., 313.

surae ratio duceretur, premimur locis Horatianis Serm. I., 4, 22. 23. 73. 74. 75., unde publicam recitationem vel in medio foro tum jam vulgari usu floruisse apparet. Perfecit autem Horatius ordinante Bentleio priorem Sermonum librum intra annos aetatis XXVI.—XXVIII., igitur scripta est Sat. IV. quam laudabamus intra annnm U. C. 715. At vero Asinius de Dalmatis triumphavit anno 714 ad finem vergente: qui cum ante in armis vixerit, solus relinquitur annus 715 quo potuerit instituti auctor esse, quod vix natum omnium statim usu frequentatum sit. Hoc vero qui dandum censeat neminem fore opinor. Quid igitur? Senecae testimonium salvum est, et si diligenter inspicias optime cum Horatio consentit. Etenim nihil loco laudato traditur de recitandi coetibus sive publicis sive privatis, sed de more homines ad recitationes solenni quadam formula advocandi cujus auctoritas moris Asinio Polioni defertur. Videtur autem, cum nunquam admissa multitudine declamaret, ab hac jactatione alienus certos modo homines ad recitationes suas invitasse nec publicarum recitationum pompam ostentationemque adscivisse.“ — Eam igitur ob caussam, quod Horatii Sat. I., 4 anno U. C. 715 scripta est, Polio auctor recitationum publicarum ex Thorbeckii sententia esse non potest. Sed de temporibus, quibus poemata Horatii nata sint, etiam nunc ambigitur (cf. Kirchner novae quaest. Horat. p. 1); Franke (in fast. Horat. p. 90 sqq.) satiram illam anno 716 et Kirchner in quaest. Horat. p. 61. anno 722 adscribit. Imo vice versa recitationes publicae Sat. I. 4 commemoratae suadent, ut hanc Satiram post annum 715 scriptam esse statuamus. Ceterum si Asinius Polio anno 715 primum publice recitavit, longum tempus intercedere, donec recitandi mos invalesceret, minime necesse fuit. Respicientibus enim literarum statum infra uberius explicatum, qualis Augustea aetate fuerit, mirum non videbitur, quod scriptores institutum recens statim tam avide amplexi sunt, ut intra unum annum vel duos effusa recitandi libido emergeret, quae ab Horatio ut in satira aliquantum fortasse exaggeratur. Insaniam quandam publice recitandi antea exstitisse, et eam ab Asinio demum cohibitam (cf. Weber l. l. p. 4), ad modicum usum revocatam esse, probabile non est, nam priores esse solent qui re aliqua utuntur quam qui ea abutuntur. Deinde si ille nihil nisi advocandi morem introduxit, haec res profecto levior erat, quam ut Seneca tam magnifice diceret: „P r i m u s enim o m n i u m Romanorum“ etc. Superest una tantum dubitatio tollenda. Polio enim, dicat quis, quum admissa multitudine declamare fastidiret: qui factum est, ut placeret ei publice recitare? At Polio eam ob caussam publice declamare noluit, quod antea in luce forensi magnam eloquentiae laudem assecutus erat. Nam quibus hominibus hoc dicendi genere admirationem sui injecerat, nunc, quum silentium quodammodo oratoribus impositum esset, eorundem assensum declamandi umbratili exercitatione captare noluit. Sed quum revera ab oratore ad

declamatorem descensus sit, unde tandem ad recitationem descenditur? Quem antecedenti laudi oratoris gloriolam declamatoris subnectere haud temere puderet, is sane non habuit cur recitare aspernaretur, quum de gradu superiori non descenderet ad diversam ab oratione artem aggrediens, et quum, quod et ipsum non negligendum est, integer esset literarum honor. Accedebat consilium docendi populum literarum amantem sive publicis sive semipublicis recitationibus, quibus infimam populi faecem non interfuisse initio hujus disputationis ostendi. — Quod reliquum est, admoneo ex verbis Thorbeckii allatis redundare annum quo publicae recitationes ortae sint 715 U. C. Non multo ante mos recitationum privatarum emersit vel potius revixit, ut supra dictum est.

Plures autem caussae conjunctae effecerunt, ut hoc ipso tempore, Augusto imperante, recitandi mos protenus ad summum florem ascenderet. Ad eas sicut oportet illustrandas rem altius repetamus.

Initia enim historiae Romanae respicientibus incolae Urbis offeruntur et in re publica gerenda et in bello propter singularem quandam virtutem ac prudentiam admirandi, sed literas artesque bonas per longa saecula ignorantes nec desiderantes. Discebant solas eas artes, quae efficerent, ut civitati usui essent. Haec res tum demum mutata est, quum Tarento capto Romani literas Graecas noscerent atque exinde nonnulli ingenio excellentes Graecorum tragoedias, comoedias, alia literarum genera Latina lingua imitarentur. Jam plures inveniebantur, qui opera recentia studiose amplecterentur, legentes et quae recta aut prava innessent dijudicantes, quod praecipue Scipione Minore ejusque amicis auctoribus in usum venit. Qui his studiis quacunque via obluctabantur ea ad virtutem nihil prodesse censentes, frustra contenderunt. Illa enim magis in dies florescebant, ex quo Graeci viri docti catervatim Romam migrabant et a primoribus civitatis in familiaritatem recepti multos interiore literarum cognitione imbuebant, ex quo Graeci grammatici juventutem Romanam docebant nec non adolescentes Romani urbes Graecas literarum studiis excellentes frequentabant. Quum praeterea librarii monumenta literarum vulganda curarent ac bibliothecae conderentur, fieri non potuit, quin et numerus eorum qui ad scribendum animum adverterent et eorum qui libros legerent judiciumque de iis callerent magnopere augeretur. Inter utrosque recondita quidem et obscura quaedam communio intercedebat, quum hi illorum libros emerent, legerent, privato sermone laudarent sive reprehenderent; sed facile quaeras, num scriptores et inter se et cum lectoribus etiam interiore magisque aperta societate connexi fuerint. De tempore quo res publica libera fuit, id negandum est. Illius enim aetatis scriptores quum partim de re publica partim de literis nimium quantum inter se dissiderent, usque ad Ciceronis tempora perpauca vestigia commercii inter eos intercedentis reperiuntur; et sicut sua quisque illorum via ingrediebatur, ita iis cum populo nihil fere quod cerni posset commune

fuit (cf. Bernhardy, Grundr. der röm. Lit.). Quamobrem recitationes privatae, si jam exstabant, parum vigebant, publicae, quod sciamus, nullae erant. At post Ciceronem hic status literarum celeriter, imo repente mutatus est. Quum enim aetas Horatii et Virgilii ex reipublicae tempestatibus in unius imperium placide migraret, multitudo scriptorum inter se et cum populo literis favente quasi coaluit. Ipsa enim aetas illa ejusmodi fuit, ut omnia quum in civitate tum in literis ad unitatem et conjunctionem traherentur, quum superior aetas diversissimis studiis distineretur. Ac non solum universa aetatis indoles et natura ita ferebat, sed etiam singulares quaedam caussae eodem tendentes notandae sunt, quibus expositis et unde provenerint recitationes et quid in literis egerint cognoscetur.

Postquam enim Octavianus Caesar potestatem juraque senatus, magistratuum, comitiorum ita mutavit, ut omnia sui arbitrii essent, campus et contentionum et honorum ingeniis ademtus aut ita in angustum adductus est, ut in eo bene agitare non possent qui virtute et ambitione ceteris antecedebant. Quum igitur magistratus plus laboris, mox etiam periculi quam honoris et potestatis haberent nec parem atque antea spem divitiarum praeberent; quum eloquentia e foro in judicia centumviralia transgressa optimis nervis careret nec magnam laudis et meriti spem permitteret; multi praeterea statum reipublicae mutatum vehementer dolerent: plurimi qui antea ad rempublicam accessissent nunc ad studia se converterunt, quibus otium explerent, gloriam aut oblivionem publicorum malorum quaererent. Quo factum est, ut innumera multitudo ad literas colendas atque carmina scribenda se conferret. Tantam vero hominum literatorum turbam arto Urbis spatio stipatam studiorum similitudine ad societatem quandam compelli necesse fuit, praesertim quum Romani natura ad eam inclinarent. Cujus societatis vinculum et fundamentum recitationes fuerunt. Deinde ipse Augustus quum intelligeret ingenia de foro depulsa aliis rebus occupanda atque oblectanda esse ne conversionem rerum publicarum molirentur, dedita opera, sicut plebi panem et circenses suppeditavit, ita, ut homines loco superiores ad studia literarum converterentur, florem earum auxit, quum poetas consuetudine ac familiaritate sua honoraret, amplis donis cumularet, ad hoc vel illud opus condendum exhortaretur, eorum recitationibus interesset, ipse et ad scribendum se conferret et recitaret. Quae eadem socii imperii administrandi atque alii divites potentesque viri fecerunt, ut Maecenas, Messala, Asinius Polio etc. Et Augustus et hi multis auctores fuerunt, ut libros ederent, quibus non solum scriptores quum operi intenti essent, sed etiam multi alii homines literarum studiosi legendo audiendove occupabantur. Simul vero e numero scriptorum multi tum beneficiis in partes imperatoris tracti, tum bene intelligentes pacem Musis amicam atque otium populi quod audientiam literis faceret Augusto deberi, lau-

des ejus ore scriptisque praedicabant, quod ad stabiliendum ejus imperium haud inutile fuit. Sed quid ex hac temporum conditione ad recitationes redundavit? Primum auctus scriptorum numerus fecit, ut hi propter studiorum affinitatem se unius corporis esse cognoscerent et inter se applicarent. Tum etiam quod multi scriptores iisdem fautoribus utebantur fieri non potuit, quin illi inter se ipsos noti ac familiares fierent. In collegia coiverunt, quibus privatae recitationes tanquam optimum commercii alimentum se offerebant. Porro quum scholae frequentiores eo tempore fierent et juventus in iis melius quam antea institueretur, quum bibliothecae publicae conderentur, quum exemplum aulae plurimos incitaret ut in literis versarentur, quum omnes otio ad id abundarent: numerus eorum magnopere auctus est qui et judicii elegantis essent et novis literarum fructibus operam darent. Quo rursus scriptores commoveri necesse fuit, ut ipsis populus literarum studiosus curae esset, ut ad hunc se applicarent. Hujus autem quasi conjugii progenies et manifestum vinculum publicae recitationes extiterunt. Quae non solum otii honeste explendi desiderio occurrerunt, sed simul fuerunt via, qua scriptores populum vicissimque populus scriptores edocebat. Nam, nt alia hoc loco omittam, illae in populum literarum studiosum intelligentiam et aequale quoddam judicium diffundebant, quod rursus scriptores permovit, ut auribus vulgi, teste Horatio, interdum rectum videntis scripta sua accommodarent. Sic recitationes publicae inter eas caussas fuerunt, quae literis illius et subsequentis temporis aequalem dicendi speciem, elegantem et politam, impresserunt.

Tertia res quae in descripta literarum conditione haud parvi momenti fuit, controversia quadam literaria continetur. Omnis enim literatorum et doctorum ordo, ut ex Horatio intelligitur, in duas factiones dissidebat, quarum altera eorum fuit qui ad Graecorum imitationem conversi, in literis ultra profici posse censebant et in primis elegantiae studentes opera summa arte confecta creabant; altera eorum qui Latinas literas ad summum jam perfectionis fastigium pervenisse putabant, Livinm Andronicum, Ennium, Naevium tanquam insuperabiles admirabantur, in suis ipsorum scriptis priscae orationis asperitati adhaerebant (cf. Horat. Ep. II, 1 etc.). Ubi vero lites et certamina, ibi conjunctio, ut in re publica, ita in literarum civitate. Quum enim asseclae ejus partis quae antiquariorum nomine designatur poetas recentiores maledictis obtrectationibusque insectarentur, omnem eorum nitorem et hilaritatem apud populum in contemtum adducere studerent: haec contentio partem adversam, quo melius obtrectatoribus resisteretur, ad vires conjungendas compulit: coiverunt in collegia, loquendi audiendique commercio se invicem edocentes, in privatis recitationibus judicio sodalium ad carmina sua perpolienda utentes, scriptis et serio et jocose adversarios impugnantes, nec non publicis recitationibus iis obluctantes ad populi benevolentiam erga sua studia conciliandam.

Transacto autem certamine, antiquariis victis, consociatio scriptorum et inter se et cum populo literarum amante constitit et mansit, una cum recitationibus, quae societati subsidio fuerant.

In collegiis utique summum momentum erat recitationum. Quum enim scriptores studiorum consortio juncti convenirent, de literarum generibus communicabant quid de cujusque rationibus sentirent, compositionem ad artem praeceptaque revocabant, quae recta ac prava essent in scriptis novis dijudicabant; ex quo loquendi audiendique commercio aequalitas illa quam in scriptoribus Augusteae et subsequentis aetatis animadvertimus, magnam partem fluxit. Atqui in conventibus scriptorum privatae recitationes fuerunt principale colloquendi argumentum, ex quo sermones illi nectebantur. Quam utilis talis societas esse possit, nostrates isti poetae Vimariae junctis viribus literas colentes ostenderunt. Collegia etiam praebuisse occasionem tirones ingenio excellentes agnoscendi et adjuvandi, facilis est conjectura. Praeterea scriptores collegio juncti non tantum per conciliorum tempus, sed etiam alias aliis hominibus convenientes se invicem laudabant, contra obtrectatores defendebant, opera nuper edita vel mox edenda ostentabant. Haec et fiducia sodalitate aucta ad victoriam de antiquariis *) adipiscendam valuerunt.

Poetarum collegia quum tam arcte cum recitationibus cohaereant, nonnulla de iis hoc loco addam. Etiam scholae poetarum nomen iis tribuitur (Mart. III, 20; IV, 61); poetice Pierii chori dicuntur (Mart. XII, 3; Ovid. ex Pont. I, 5, 58), nisi hoc nomen universe poetas significat. Praeter poetas sine dubio etiam alii scriptores eorum socii erant, et omnino doctissimorum et eruditissimorum plerique dummodo cum ceteris consentirent in eo quem collegia sequebantur fine. Ex quibusnam primum illud, quod Accii tempore memoratur, collegium constiterit, dici non potest; secundum autem, quod Horatianum appellabimus ab eo, qui praecipuus ejus propugnator contra antiquarios fuit atque ingenio suo caput ejus et dux, quos viros comprehenderit, conjectura colligi potest ex iis quos Horatius familiares suos nominat. Sine ulla dubitatione in hoc collegio numerandi sunt quos ille in Sat. I, 10, 81—90 nominat et quorum assensu se maxime laetari ait: 1. M. Plotius Tucca, qui memoratur etiam Sat. I, 5, 40; 9, 23; 10, 43—44. Huic cum Vario Virgilius moribundus Aeneidem cremandam tradidit. Poetam eum fuisse ex hoc quidem loco non patet (cf. Weich. p. lat. rell. p. 217 sqq.). 2. L. Varius (Sat. I, 5, 40; I, 10, 44 cf. Weich. de L. Vario et Cassio Parmensi Grimmae 1836), epicus poeta qui scripsit de Morte sc. Julii Cae-

*) Probabilis est conjectura antiquarios quoque societatem coivisse et conventus habuisse, in quibus scripta sua recitarent et plausibns se invicem ad coelum usque tollerent. Huc referenda videntur verba Hor. Ep. II., 2, 91—101.

saris et Panegyricum in Caesarem Octavianum, insignis etiam tragoedia Thyeste. 3. Maecenas. 4. Virgilius, cujus nomen apud Horatium legitur etiam Sat I, 5, 40; 10, 45. 5. Valgius Rufus (cf. Weich. poet. lat. rell. p. 203 sqq.), qui studiis grammaticis et rhetoricis operam navavit, opus de usu herbarum scripsit, Apollodori Pergameni *τέχνην* in Latinum convertit, elegias composuit. 6. Octavius. Imperatorem Octavianum hunc non esse ostendit Weichert l. l. p. 220. 7. Fuscus Aristius (Sat. I, 9, 61; Od. I, 22; Ep. I, 10), grammaticus et poeta. 8. et 9. Vibii fratres, viri docti neque a poeticis studiis alieni. 10. C. Asinius Polio, belli dux, in republica administranda versatus, tragicus poeta (Sat. I, 10, 42), orator et historiarum scriptor. 11. M. Valerius Messala Corvinus, orator et de republica bene meritus. 12. Ejus frater Publicola. 13. Bibulus et 14. Servius, ille ex gente Calpurnia, hic ex Sulpicia. 15. Furnius historiarum scriptor scholiasta auctore. Pergit Horatius v. 88: „Compluresque alios doctos ego quos et amicos praetereo, quibus haec, sunt qualiacunque, arridere velim.“ Inter hos certe plerique eorum habendi sunt, quibus Horatius aut carmina dicavit aut quorum apud eum honorifica vel familiaris mentio fit, ut: 16. Coccejus (Sat. I, 5, 32). 17. Fontejus Capito (ibid.). 18. Fundanius (Sat. II, 8, 19; I, 10, 42) comoediarum scriptor. 19. Nomentanus (Sat. II, 8, 23). 20. Lollius (Ep. I, 2; 1, 18; Od. IV, 9, 21). 21. Julius Florus (ep. I, 3; II, 2). 22. Titius Septimius poeta (Ep. I, 3, 9; Od. II, 6). 23. Munatius Plancus (Ep. I, 3, 31; Od. I, 7). 24. Albius Tibullus (Ep. I, 4; Od. I, 33). 25. Torquatus jureconsultus (Ep. I, 5; Od. IV, 7). 26. et 27. Butra ac Septicius (Ep. I, 5, 26). 28. Numicius (Ep. I, 6). 29. Celsus Albinovanus poeta (Ep. I, 3, 15). 30. Bullatius (Ep. I, 11). 31. Pompejus Grosphus (Ep. I, 12, 22; Od. II, 7 et 16). 32. Lamia (Ep. I, 14, 6; Od. I, 26, III, 17). 33. Numonius Vala (Ep. I, 15). 34. Quinctius (Ep. I, 16). 35. Scaeva (Ep. I, 17). 36. L. Sextius (Od. I, 4). 37. Quintilius Varus (Od. I, 18 et 24). His et multis aliis qui apud Horatium nominantur praeterea ex Ovid. Trist. IV, 10, 43—58 adjiciendi sunt Aemilius Macer, qui Ornithogoniam et Theriaca (ep. ex Pont. IV, 16, 6), epica carmina: Antehomerica et Posthomerica scripsit (ex Pont. II, 10, 13), Propertius elegiarum scriptor, Ponticus, qui bellum Thebanum cecinit, Bassus, qui tragoedias composuisse videtur, Cornelius Gallus poeta elegiacus. Hos enim Ovidius una cum Horatio, Virgilio et Tibullo nominat quos recitantes audierit, eosque Horatiano collegio accensendos esse inde sequitur, quod Ovidius v. 55 majores, v. 41 aequales ipsius aetati poetas dicit.

Quomodo hoc collegium constitutum fuerit, scire nequimus, sed certae leges regulaeque in eo locum habuisse non videntur, quamquam facile intelligitur eos qui ingenio maxime excellerent auctoritate quadam apud ceteros valuisse, ut Ovidius se illos vete-

ranos literarum artifices Virgilium, Horatium etc. audiisse magis et coluisse et fovisse ait. Qui quum e vita excessissent, Ovidius optimus secundum eos poeta principem collegii locum obtinuisse videtur, quod ipse significat (Trist IV, 10, 55) his verbis: „Utque ego majores, sic me coluere minores.“ Qui quidem minores ab eo (ex Pont. IV, 16) memorantur: 1. Domitius Marsus, epicus, elegiacus ac bonus epigrammatum poeta. 2. Rabirius, epicus poeta, qui fortasse carmen de bello Actiaco scripsit. 3. Macer, de quo supra jam dictum est. 4. Pedo Albinovanus. Dubitatur num Theseidem composuerit. 5. Carus (cf. ex Pont. IV, 13), epicus poeta. 6. Corn. Severus de bello Siculo, de Aetna scripsit. 7. et 8. Prisci fratres. 9. Montanus. 10. A. Sabinus scripsit Heroidas, epos de Troezene, 11. Largus epos de Antenore, 12. Camerinus de Troja ab Hercule capta. 13. Tuscus, eroticus poeta. 14. Marius. 15. Trinacrius, Perseidis scriptor. 16. Lupus auctor poematis de Menelai et Helenae post Trojam captam reditu. 17. Rufus (cf. ex P. 2, 11) poeta lyricus et interpres Phaeacidis. 18. Turranius tragoediarum, 19. Melissus togatarum scriptor. 20. Varus et 21. Gracchus dramatici videntur poetae. 22. Proculus, elegiacus poeta. 23. Gratius, qui Cynegeticon libros scripsit. 24. Capella, fortasse scoliamborum scriptor. 25. Fontanus Bucolica composuit. 26. Maximus Cotta, poeta et orator (cf. Weich. poet. lat. rel. et de L. Vario et Cassio Parmensi). Praeter hos multos quoque fuisse alios, quos Ovidius tacet, v. 37 designatur: „Cumque forent alii, quorum mihi cuncta referre nomina longa mora est.“ Animadvertendum est omnia nomina quae hic leguntur recentiorum poetarum esse, qui neque apud Horatium inveniantur neque ab Ovidio, Macro excepto inter illos majores memorentur, quare dubitari potest, utrum isti recentiores dilapso demum Horatiano novum collegium, cujus caput Ovidius fuerit, condiderint, an illud in hujus quoque tempora duraverit. Ceterum posteriore tempore collegia non interiisse schola poetarum commemorata apud Martialem IV., 61 probat, qui in ea se fabulatum esse dicit cum alio de emptis lacernis, sardonyche, gemmis, quod clam recitante aliquo factum videtur. Si quaerimus de tempore inter Augustum imperatorem et Plinium minorem interjecto, num etiam tunc censura cum recitationibus conjuncta fuerit, veteres quidem de ea re nos non docent, sed ex eo non sequitur, auditores de literis non judicavisse, etsi concedendum est studium emendandi ostentationi cessisse, quum a Seneca et Persio recitationes nonnisi male audiant. Martialis demum judicii ab auditoribus facti meminit verbis: „Si quid est enim in libellis meis quod placeat, dictavit auditor;“ saepius et copiosius Plinius minor in iis locis qui infra afferentur. Sed ut hic rem describit, ea magis fucatum quam naturalem vigorem prae se ferre videtur; et sicut radices literarum primi seculi Augustea aetate continentur, ita tunc maxima fuit recitationum vis. Memoria etiam dignum est collegii participes externa specie

tanquam unum corpus apparuisse eo quod communia quasi sacra habebant. Ovidius enim (Trist. V., 3, 1—4) dicit: „Illa dies haec est qua te celebrare poetae, si modo non fallunt tempora, Bacche solent festaque odoratis innectunt tempora sertis et dicunt laudes ad tua vina tuas," unde patet, eos Bacchi festum, quod in diem XV. Cal. April. incidit (cf. fast. III., 783 sqq.), communiter celebrasse epulis et cantibus, quibus se non interesse Ovidius exsul vehementer dolet dicitque moestus (Trist. V., 3., 47—52): Vos quoque, consortes studii pia turba poetae, haec eadem sumto quisque rogate mero, atque aliquis vestrum Nasonis nomine dicto deponat lacrimis pocula mista suis, admonitusque mei, cum circumspexerit omnes, dicat: ubi est nostri pars modo Naso chori? — Haec de collegiis.

Recitandi mos, qui ut supra dixi, Augustea aetate ortus est, eadem tam celera laetaque incrementa cepit, ut, cum eo carere nequirent, per sequentia secula duraret. Licet enim impedimenta quaedam excolendis literis post Augustum obstarent, quum et temporum mala et imperatorum quorumdam vel injuria vel invidia vel crudelitas poeseos studia retardarent: ea tamen non potuerunt penitus opprimi et si forte per aliquod tempus oppressa fuerant, felicioribus temporibus denuo revocata sunt. Quae autem literarum sors, eadem fere recitationum fuit, quae eas tanquam umbra comitabantur. Itaque sub imperio Tiberii et Caligulae qui multa in scriptores crudeliter fecerunt rarius recitatum esse videtur *), saepius Claudii et Neronis **) aevo, nec desunt testimonia de recitationibus habitis a scriptoribus qui sub Vespasiano, Tito, Domitiano ***) literis operam dederunt. Sed illa testimonia non sunt tot aut talia, ut certi quid de frequentia recitationum hac sive illa aetate habitarum ex iis explorari possit. Quum Nervae et Trajani „mira temporum felicitas" sequeretur, creberrimas fuisse

*) Opinio Nisardi (Études sur les poëtes Latins I. p. 340), Tiberium nec recitasse nec recitationes haberi passum esse, nullo veterum testimonio nititur. Idem post Tiberium eas non morem, sed institutum et legem civitatis (loi d'État) evasisse audacius quam verius ait.

**) Nisard l. l. p. 341 aetatem Neronis auream recitationum publicarum appellat. Sed etsi ea, quae apud Persium et Senecam legimus, sub Nerone non raro recitatum esse ostendunt, illae et Horatii et Plinii minoris tempore si non crebriores, certe aeque crebrae fuerunt, quod loci infra allati probant. Quin etiam dici potest Neronis vanitate studium recitandi aliquantum repressum esse, quum Tacitus Ann. XV., 49 haec narret: »Lucanum propriae caussae accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero prohibueratque ostentare vanus aemulatione,« i. e. prohibuerat recitare.

***) Nisard l. l. p. 380 post Statium recitationum nomen mutatum easque ostentationes vocatas esse scribit, sed unde hoc sciat non aperit, et plures scriptorum loci ostendunt, vocem recitationis post Statium in usu mansisse (cf. Plinii, Iuvenalis et Scriptorum historiae Augustae locos infra laudatos).

illas praecipue ex Plinii epistolis cognoscitur. Inde ab hoc tempore num rarius an saepius recitatum sit, rursus propter penuriam testimoniorum parum certum est; sed literis jam marcentibus mos ille haud dubie decrevit. Nam vis populi fracta fuit, ardor et alacritas animorum immani dominatione Tiberii, Claudii, Neronis et inprimis Domitiani exhausta. Quum omne studiorum genus paullo liberius et erectius servitus periculosum fecisset, „studia fori et civilium artium decus tyrannidis malis in silentium acta fuissent", ingenia iisdem malis, ut Plinius ait, in posterum quoque hebetata, fracta, contusa fuerant. Quodsi primo saeculo et aliquot annis post adversus tanta mala literae cursum tenuerunt, id non aliter nisi ingenti virium contentione tyrannidi obluctante factum est. Necesse vero fuit effusae nervorum contentioni parem defectum et torporem ingeniorum succedere, qui sub Hadriano erupit, postea etiam crevit (cf. Bernhardy Grundr. der röm. Lit. p. 266 sqq.). Accedit quod homines ingenio insignissimi ad Graece scribendum adque artem sophistarum se applicabant et quod tertio seculo literae ex Urbe in provincias migraverunt. Has ob caussas quum ex Hadriani tempore literae Romanae obmutescerent, recitationum morem etiamtum floruisse cogitari nequit. Nec tamen is repente interiit, quum ex scriptoribus Historiae Augustae infra citatis tempore Alexandri Severi, Pertinacis, Numeriani in Athenaeo, quin adeo sexto seculo Romae recitatum esse appareat ex Venantii Fortunati verbis: „Vix modo tam nitido pomposa poemata cultu audit Trajani Roma verenda foro." — Eorum igitur quae de cursu et temporibus recitationis disseri possunt caput hoc est: mos ille floruit per centum fere et quinquaginta annos, et maxime quidem Horatii et Ovidii, deinde iterum Martialis, Plinii Minoris et Juvenalis aetate, sed post hanc decrevit. Minutius rem scrutari operae pretium non est, quum veteres praeter ea quae attuli notatu digna de temporibus recitationis non prodiderint. Quid enim refert narrare, Julium Montanum initio primi p. Ch. seculi, Nonianum Claudio imperatori, Curiatium Maternum sub Vespasiano, Codrum sub Trajano recitasse? Praeterea, id quod maximum est, ab origine recitationum usque ad eam aetatem qua defloruerunt, morem ipsum nullam insignem mutationem passum esse ex veterum testimoniis patet, quum imago recitationum ab Horatio, Ovidio adumbrata a lineamentis imaginis a Plinio et Juvenale expressae non differat *). Quod facile tibi persuadebis

*) Weber in comment. l. historiam quasi recitationum scribere conatus est; sed quamvis ego quoque temporum rationem minime neglexerim, tamen omnem materiam disputationis in temporum partes digerere non placuit. Nam praeter primarias caussas supra allatas, multa quae propter similitudinem rerum jungenda sunt ordine temporum divelluntur, et quum admodum pauca sint quae de singulis temporibus explorata habeamus, multa relinquuntur, quae certo tempori tribui nequeant.

quum comparaveris de insania recitandi Horat. Sat. I, 3, 85—89, I, 4, 36—37, 73—75. Epist. II, 1, 109—110 cum Petronii locis infra adscriptis et Mart. III, 45 et 64, Juven. I, 1—13, Plin. Ep. I, 13, IV, 27; tum de odio recitationum Horat. ad Pis. 474—475 cum Mart. III, 44. IV, 41. Juv. I, 1—13, III, 6—9. Plin. I, 13; tum de recitatoribus laudis avidis Hor. Ep. II, 1, 219—225 cum Plin. VI, 17; porro de auditoribus integre judicantibus Hor. ad Pis. 438—444, Ovid. ex Pont. II, 4, 13—18, IV, 12, 25 cum Mart. XII praef.; deinde de plausu mercede emto Hor. Ep. I, 19, 37—42, ad Pis. 420, 426—430 cum Pers. I, 53—54, Mart. I, 50, I, 67, VI, 48; tum de ratione plaudendi Hor. ad Pis. 426—430 cum Mart. I, 4, 7, Plin. II, 10; de simulato plausu Horat. Ep. II, 92—105 cum L. Sen. Ep. 95, Pers. I, 58—60; de habitu et artibus recitatorum Pers. I, 15—21 et 98 cum Mart. IV, 41; denique de officio audiendi et plaudendi Hor. Ep. II, 2, 102—105 cum Plin. Ep. VIII, 12; Juven. VII, 43—44. (De quibus rebus et locis infra pluribus exponetur.)

Recitationes si quaeris quam utilitatem attulerint, summa responsionis iis continetur quae supra exposuimus unde appareret quid recitationes in literis Romanis valuissent. Sed ut nonnulla accuratius exponam, haec addo. Primum eo proderant, quod iis nova scripta celerrime in notitiam hominum perferebantur, praecipue eorum qui audire quam emere mallent. Haud parum deinde recitationes ipsum studium emendi et legendi libros juvabant, quum praestantia eorum audiendo cognosceretur; ii enim libri de quibus incertum est, utrum lectione digni an indigni sint, tardius et emuntur et leguntur. Hoc est quod Horatius in Sat. I, 4, 22 verbis: „Cum mea nemo scripta legat vulgo recitare timentis“ dicit, et ob eam caussam multi antea quam publicarent librum recitabant, sicut Plinius (ep. II, 10) amicum hortatur: recita saltem, quo magis libeat emittere (cf. ep. I, 5: „recitaret publicaretque“). Tum recitationes utilissimae erant, quod scriptorum studium et alacritatem ad literas colendas incendebant et augebant fama quae illis parabatur. Nam „ingenio stimulos subdere fama solet“ (Ov. Trist. V, 1, 75, cf. ex Pont. I, 5, 57) et „excitat auditor studium laudataque virtus crescit et immensum gloria calcar habet“ (Ov. ex Pont. IV, 2, 34—36). Maximum vero emolumentum is qui recitabat ex judicio auditorum capiebat, quum si publice coram auditorio ex hominibus diversissimorum ordinum composito recitabat, assensu aut contrario cognosceret, utrum eadem via sibi pergendum esset an non; sin coram amicis tantum vel consortibus studiorum, etiam emendationibus eorum ad corrigenda scripta uteretur. Nam hi non modo de verbis et locutionibus tam deligendis quam repudiandis et de versibus minus sonoris admonebant, sed in ipsas etiam res tractatas judicii severitatem exercebant (cf. Hor. ep. II, 2, 110—123). Diserte hanc utilitatem exponit Plinius (ep. V, 3) hisce verbis: „Itaque has recitandi caus-

sas sequor, primum quod ipse qui recitat aliquanto acrius scriptis suis auditorum reverentia intendit, deinde quod de quibus dubitat quasi ex consilii sententia statuit. Multa etiam a multis admonentur, et si non admoneatur, quid quisque sentiat perspicit ex vultu, oculis, nutu, manu, murmure, silentio, quae satis apertis notis judicium ab humanitate discernunt" (cf. ep. V, 13 et VII, 17). Haud dubie utiliores erant privatae recitationes, quod idem Plinius significat verbis: „Recitaturus oratiunculam advocavi aliquos, ut vererer, paucos, ut verum audirem"; et Horatius ob eam caussam privatim tantum recitavit (Sat. I, 4, 22; 73—75; ep. I, 19, 41—42; Ov. Trist. IV, 18), quamquam ipse alias quoque hujus consuetudinis caussas affert. Sed nullo pacto istae utilitates apparere poterant, nisi et recitator et auditores eo quo oportet animo erant. Etenim quamvis gloria illum aliquantum moveri non improbandum sit recteque Plinius dicat (ep. I, 13): „Juvat me quod proferunt se ingenia hominum et ostentant", tamen sola famae cupiditate poetam duci minime decet neque ea sententia eum esse, quam homo quidam apud Persium (I, 24) profert: „Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus innata est rupto jecore exierit caprificus?" h. e. quo studia et labores, nisi ars et artis opera in publicum proferantur? (cf. dial. de causs. corr. eloqu. c. 10). Cupiditas laudis sane multos compulit, ut in scribendo non artem ducem sed perversum judicium vulgi sequerentur, ut minus iis curae esset bona opera procreare quam ea quae hominibus aetatis suae placerent. Jam non, ut ita dicam, scripta recitabantur sed recitanda scribebantur, unde multa vitia quae literis argenteae aetatis adhaerent manaverunt. Nimio enim studio exornandi moti scriptores circa flosculos occupati erant, pannos quasi purpureos aliunde petitos assuebant et descriptionibus ad rem non pertinentibus luxuriabantur, non tam sententiarum gravitati quam orationi tumidae et fuco quasi coloratae studebant verborumque sonum ante omnia sectabantur, quo aures jucunda quadam titillatione afficerentur. Porro justo plus antitheta acuta amplexabantur, in oratione et quod novum erat quaerebant et antiqua exoletaque revocabant, audaces translationes et frequentes captabant, nonnulli nimiae et artificiosae brevitati studebant. Quum oratio poetarum artes rhetorum sectaretur, oratio pedestris poeticam imitabatur, ut unus ex illis scriptoribus in hanc querelam erumperet: „Quidquid jam loquimur, figura est!" Sed caussam omnium istorum vitiorum ut Nisard l. l. ad recitationes publicas referre iniquum est; quae etsi aliquam partem caussae sustinent, tamen primarios fontes unde illa profluxerint revera alibi reperiri Bernhardy (Grundr. der Röm. Lit. p. 260 sqq.) egregie demonstrat. Inter alia declamationes multo plus ad corrumpendum dicendi genus valuerunt quam recitationes (cf. Bernhardy in l. l. p. 285 sqq.).

Ejusmodi scriptores qui solo famae studio trahebantur, effe-

cerunt, ut morem recitandi per se laudabilem inquinarent vitia ambitionis, vanissimae ac turpissimae artes hominum ad assentiendum muneribus sive pecunia sive coena aliave largitione alliciendorum *). Jam Horatii tempore haec in usu fuerunt, quum is dicat (Ep. I., 19, 37—40): „Non ego ventosae plebis suffragia venor impensis coenarum et tritae munere vestis, non ego nobilium scriptorum auditor et ultor grammaticas ambire tribus et pulpita dignor," quae simul ostendunt nonnullos scriptores etiam grammaticos audiendis eorum praelectionibus scholasticis coluisse, quod ii suum judicium multorum aliorum hominum facere possent. Porro Horatius (in art. poet. 420): „Assentatores jubet ad lucrum ire poeta dives," et ob hanc hominum improbitatem ac sordem si quis brevi recitaturus longe alia mente neque pravo consilio alicui donare quid velit, vehementer dissuadet, aut tum non recitandum censet his verbis: „Tu seu donaris seu quid donare voles cui, nolito ad versus tibi factos ducere plenum laetitiae; clamabit enim pulchre! bene! recte! pallescet super his, etiam stillabit amicis ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram." Itaque scite Martialis (VI., 48) talem mercede plausus togatorum h. e. plebejorum mercantem alloquitur: „Non tu Pomponi, coena diserta tua est!" idemque scriptor saepe de his largitionibus agit, ut I., 50; I., 67, ubi de pretio: „Non sex paratur aut decem sophos nummis." Persius (I., 53—54): „Calidum scis ponere sumen, scis comitem horridulum trita donare lacerna." Petronius c. 10: „Multo me turpior es tu, qui ut foris coenares poetam laudasti." Qui homines mercede vel coena ad laudandum conducti non inurbane Sophocleis (qui sophos clamant) vocantur, iisdem Latinum nomen impositum est laudicoeni (Plin. ep. II., 14). Quanti assentatores saepe conducti sint, Plinius l. l. testis est, qui duos nomenclatores suos ternis denariis ad laudandum tractos esse scribit, quod quamvis proprie ad centumvirales caussas pertineat, tamen etiam ad recitationes referri licet, quum eaedem artes plausus parandi describantur. Apud eundem (l. l.) singularis huic ipsi muneri praepositus mancipis nomine memoratur, donaque quae is palam in media

*) Nisard (Études sur les poëtes Latins t. I. p. 337 sq.) modum excedit in eo quod dicit ab hominibus doctis et judicio intelliguenti praeditis recitationes publicas omnino non esse frequentatas, sed tantum ab otiosis, qui tempus perdere vellent, et a debitoribus dilationem solvendi quaerentibus. Quamvis enim ex testimoniis veterum majore cum perspicuitate non liqueat, quales homines singulas recitationes audiverint, tamen certum est ex. gr. Polionem, Juvenalem (qui »magna frequentia auditus est«), Plinium (qui saepius »plurimis« recitavit), solis rudibus et plebejis hominibus legere noluisse. Vir doctus ille etiam alibi in eo peccat, quod quae interdum vel raro incidebant pro regula ad totum institutum transfert; quare mirum non est, eum maximopere extenuare ac condemnare publicas recitationes, quippe quae mera damna importaverint. At rem integre spectanti nec laudes quas Plinus iis tribuit negligenti illae praeter damna etiam utilitates quasdam habuisse videbuntur.

basilica distribuebat sportulae vocantur; cum, qui ceteris mercede conductis signum clamoris tollendi dabat, Plinius mesochorum appellat, qua in re comparandi sunt isti homines qui hodie in theatris assentandi munere funguntur *). Postea assentatores ad apparatum et necessariam quasi supellectilem recitationis pertinebant, sicut in Juv. VII., 43—44 patronus praeter domum, in qua recitet poeta, etiam „scit dare libertos extrema in parte sedentes ordinis et magnas comitum disponere voces." Quum omnino judicio indocti vulgi parum confidendum sit (Plin. II., 14: „opus est enim signo ad plaudendum apud non intelligentes, ne audientes quidem, nam plerique non audiunt nec ulli magis laudant"), quum periculum esset, ne omnes aculei judicii aurium delenimentis refringerentur (Plin. ep. III., 15): quanto magis omnem in judiciis auditorum positam utilitatem conductis ad plaudendum hominibus perire necesse erat! Sic non mirandum est quod L. Seneca ep. 95 narrat: „Recitator historiam ingentem attulit minutissime scriptam, arctissime plicatam, et magna parte perlecta „Desinam," inquit, „si vultis." Acclamatur: „recita! recita!" ab his qui illum obmutescere illico cupiunt." Quid quod ei, qui palam immodice laudatus erat, pone foedissimae subsannationes fiebant, ita ut indicis digiti in recitatorem directi crebra mutatione ciconiam rostro pinsentem imitarentur, aut opposito temporibus pollice et manu commota auriculas asini exprimerent, aut linguam exsertarent (Pers. I., 58—60). Si talia fuerunt auditoria, frustra Plinius (ep. III., 18) speravit posse fieri, ut quae olim male musicos canere docuissent theatra, eadem bene canere musicos docerent, ac longe alio auditorio Martialem usum fuisse necesse est, qui dicat in praef. ad libr. XII.: „Si quid est enim in libellis meis quod placeat, dictavit auditor." — Sed recitationes quae intra privatos parietes coram amicis vel in collegio poetarum fiebant utiliores fuerunt, quoniam amicorum est incorrupte et integre judicare, doctrina vero et eruditione haec auditoria longe praestabant. Sane recitator ipse falsa ambitione et vanitate, qua inflatus laederetur, „si quis amicorum esset ausus reprehendere versum (Hor. ep. II., 1, 222), carere, imo parato ad corrigendum animo emendationibus eorum uti debebat, ut Ovidius, qui dicit (ex Pont. II., 4, 17—18): „Utque meus lima rasus liber esset amici, non semel admonitu facta litura tuo est" et (ib. IV., 12, 25): „Saepe ego correxi sub te censore libellos." Auditoris qualis esse debeat imaginem Horatius proponit (ad Pis. 438—444): „Quintilio si quid recitares, corrige sodes hoc, ajebat, et hoc; melius te posse negares, bis terque expertum frustra delere jubebat et male tornatos incudi reddere versus; si defendere delictum quam vertere malles, nullum

---

*) Weber (in l. l. p. 30.) haec, quae Plinius de judiciis centumvira libus narrat, ad recitationes transferens addere debuit ex sua tantum conjectura id fieri.

ultra verbum aut operam insumebat inanem, quin sine rivali teque et tua solus amares.“ Idem suadet Pisonibus (in art. poet. 386): „Si quid tamen olim scripseris, in Metii descendat judicis aures et patris et nostras“ h. e. recites doctissimo cuique.

Ceterum Augusti tempore etiam contrarium istius assentandi furoris accidisse, invidam dico et malignam judicandi severitatem, colligi potest ex Hor. ep. I., 4, 1: „Albi, nostrorum sermonum candide judex,“ quum haec candidi judicis nominatio in initio epistolae de longe diverso argumento agentis siugulare pondus habeat atque ostendat, quantum Horatius delectatus sit Tibulli judicio, quod fortasse in collegio poetarum aut alia occasione publice factum erat contra obstrectatores; tum Ovidius illius rei testis est, qui saepe de iis quae benigne amicis fecerit loquens haud parvo sibi merito tribuit, quod eorum carmina laudaverit, ut Trist. V., 3, 53—54: „Si vestrum merui candore favorem nullaque judicio litera laesa meo est.“ — Adjungam denique rationem, qua Plinius minor recitationibus usus est, ut quam maximam utilitatem ex iis perciperet; is enim (ep. VII., 17) ita scribit: „Ac primum quae scripsi mecum ipse pertracto, deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda, novissime plurimis recito, ac si quidem mihi credis, acerrime emendo.“

De loco recitationum jam dicturus in transitu tantum Ovidium etiam Tomis (Ov. ex Pont. IV., 13) et ignotum quendam poetam Martialis carmina pro suis Cordubae recitasse (Mart. XII., 64) attingo; fuerunt enim nullius aut parvi momenti recitationes, quae extra Romam habitae sunt, quo ab initio literarum Romanarum usque ad III. p. Ch. n. seculum omnia ingenia confluxerunt. Sed Romae aut in publicis aedibus aut in privatorum domibus recitabatur. Publice primus Augustus templum Apollinis Palatini recitantibus permisit. Quod quidem apud Horatium (sat. I., 10, 37—39): „Haec ego ludo, quae neque in aede sonent certantia judice Tarpa nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris“ intelligi non licet, quoniam illud templum anno 726 U. C. consecratum est, satira I., 10 autem jam intra annos 715—717 scripta esse videtur. Spurius Maecius Tarpa, si scholia h. l. sequimur, unus fuit ex quinqueviris fabulis judicandis utrum dignae essent quae ederentur an non (cf. Cic. ad. fam. VII., 1; Suet. in vit. Terent.: Terentius primam Andriam cum aedilibus daret, jussus ante Caecilio recitare). Weichert (poet. Lat. rel. p. 334 sq.) statuit aedem in illo Horatii loco esse domum privatam, in quam poetae scenici convenire suaque scripta coram judice recitare soliti sint. Mihi quidem, quum aedem singulari numero domum privatam significare non placeat, Horatius universe dicere videtur, se non tam magnifica carmina componere, quae in templo aliquo publice coram talibus qualis Tarpa auditoribus recitare audeat. Sed sine dubio templum quod publice recitantibus permissum erat Horatius in ep. II., 2, 92—93 designat per illam „vacuam Romanis vatibus

aedem," neque temporis ratio impedit, quominus Apollinis Palatini templum intelligamus. Certum autem et apertum de ea re testimonium scholiasta Cruquii ad Hor. sat. I., 10, 38 praebet hoc: „Tarpa auditor assiduus poematum et poetarum in Aede Apollinis seu Musarum, quo convenire poetae solebant suaque scripta recitare." Idem probat Juvenalis (sat. VII., 35—36): „Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste quem colis et Musarum et Apollinis aede relicta." Nam poeta si Apollinis et Musarum aedem relinquit, quid aliud significari censeamus quam conventus poetarum in illo templo recitationum et communium studiorum caussa habitos? Qui conventus sub imperatoris praesidio et tutela erant. Nam quum illo Juvenalis loco Musarum et Apollinis templum privato viro „quem colis" opponatur: ut hoc „quem colis" ad privatam literarum tutelam, ita illud ad publicum h. e. imperatoris praesidium referendum est, de quo v. 1. legitur: „et spes et ratio studiorum in Caesare tantum" (cf. v. 22: si qua aliunde putas rerum expectanda tuarum praesidia). Campus igitur eorum poetarum et scriptorum, qui a Caesare rerum suarum praesidia exspectabant, templum Apollinis et Musarum fuit, ubi etiam tunc ut Augusti aetate recitabant. Aliquando tamen in templo recitari non licuisse ex Mart. ep. XI., 3 sequitur, qui librum suum ita alloquitur: „Jure tuo veneranda novi pete limina templi, reddita Pierio sunt ubi templa choro." Igitur aut ab imperatore aliquo, fortasse Domitiano, templa ademta sunt recitationibus et Nerva vel Trajanus (duodecimus enim Martialis liber post Domitiani mortem scriptus est) iis restituit ea (cf. reddita templa); aut renovatum sive totum denuo exstructum est aliquod templum (cf. novi templi) et perfectis operibus recitationes rursus in eo haberi potuerunt.

Etiam in theatris publice recitatum est, nam Suetonius de Nerone (in vit. Ner. c. 10.) narrat: „recitavit et carmina non modo domi, sed in theatro" (cf. Diocass. 62, 12 et Petron.). Ex quo denique Hadrianus Athenaeum condiderat et etiam recitationum publico usui destinaverat, ibi eae saepe habitae sunt. De Athenaeo Aurelius Victor (in vit. Hadr.): „adeo quidem ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum vocant, constitueret;" Aelius Lampridius (vit. Alex. Sev. c. 35 v. 44): „Alexander Severus ad Athenaeum audiendorum et Graecorum et Latinorum rhetorum et poetarum caussa frequenter processit;" Juliius Capitolinus (vit. Pert. c. 11): „et quum Pertinax eo die processionem quam ad Athenaeum paraverat, ut audiret poetam, distulisset" (cf. vit. Gord. c. 3, Sidon. Apoll. II., 9).

Qui in privata domo recitare malebant, aut sua utebantur (sic Plinius in triclinio ep. VIII, 21) aut mercede conducebant aliquam (ut in dial. de causs. corr. el. c. 9 est: et ne id quidem gratis, nam et domum mutuantur etc.), aut alius iis suam gratuito commodabat, sic Messala Corvinus (M. Sen. suas. VII extr.), Stella (Mart. IV, 6, V, 11, VII, 35, VIII, 78, I, 62, IX, 42), Titi-

nius Capito (Plin. ep. VIII, 12). Juvenalis locum, ubi creberrimae recitationes haberentur, Frontonis platanos exhibet; igitur etiam in aperto illae instituebantur, nam platanon verbis Juvenalis significatur sive platanetum, quod est viridarium platanis propter umbram consitum; quae Juvenalis memorat marmora, h. e. signa marmorea et columnae, ornamento erant. Utrum Frontonis platani ab eo, qui locum condiderat vel olim possederat, nomen traxerint, an Fronto aliquis tunc possessor fuerit, dubium est; fortasse fuit ambulacrum publicum, unde insignis illa quam Juvenalis l. l. depingit crebritas recitationum ibi habitarum quam caussam habuerit, facile cognoscitur. Qualis vero saepe domus fuerit quam dives fautor poetae recitaturo praeberet, Juvenalis (Sat. VII, 39—42) his versibus describit: „Et si dulcedine famae succensus recites, maculosas commodat aedes. Haec longe ferrata domus servire jubetur, in qua sollicitas imitatur janua portas“, domus igitur vitiosa ac ruinosa, ita ut ferreis fibulis praecaveri necesse esset ne collaberetur, jam pridem deserta et ob eam rem januis tam firme clausis et obstructis, quam portae urbium quae obsidione tenentur. — Auditorium denique quomodo exstrui solitum sit, ex eadem Juvenalis satira videmus, qui v. 45—47 haec scribit: „Nemo dabit regum, quanti subsellia constent et quae conducto pendent anabathra tigillo quaeque reportandis posita est orchestra cathedris.“ Orchestra quidem et subsellia quid significent, facile est intellectu, nam illa ut in theatro senatus (Vitruv. V, 7), sic in auditorio sedes nobilium erat, qui proxime recitatori in cathedris h. e. sellis commodioribus et elegantioribus sedebant; post eam subsellia erant, in quibus vulgus auditorum sedebat (cf. v. 43 libertos extrema in parte sedentes ordinis). Anabathra vero multis, ut Heinrichio (in comment. ad h. l.), sedium ordines videntur, qui ab utroque latere sicut fori vel gradus alii super alios assurgunt; et hoc in auditoriis non insolitum fuisse Suetonius demonstrat, qui (in vit. Claud. 41) recitante quondam Claudio complura subsellia obesitate cujusdam defracta esse narrat, quod fieri non potuit, nisi subsellia, ut dixi, alia super alia erant exstructa. Sed inde non sequitur semper tale fuisse structurae genus, quod praesertim ab illo loco Juvenalis alienum videtur propter paupertatem poetae, qui non solum exaedificandum auditorium curavit, sed etiam tigilla cathedras etc. mercede conducere debuerat, tum propter vocem anabathri, qua magis locus editus ex quo docebatur aut recitabatur quam sedes auditorum significatur. Propterea hoc loco pulpitum vel suggestus in quo recitator sedebat dici videtur, quae supellex in auditorii descriptione non bene desideratur, quum in eam quoque impensa facienda esset. Ceterum recitatores de loco excelso legisse etiam Persius (Sat. I, 17) verbis: „Sede leges celsa“ manifeste docet. Postremo adjicio non defuisse, qui nulla loci ratione habita ubivis recitarent, et jam Horatius queritur: „In medio qui scripta foro recitent sunt multi quique lavantes“,

quae recitandi insania postea ita crevit, ut omnem modum excederet. De tempore, quo maxime singulis annis recitari solitum sit, hoc tantum dici potest, omnibus mensibus licuisse, neque obstat quod Juvenalis (Sat. III, 9) verbis: „Augusto recitantes mense poetas" certum mensem refert, nam non de more quodam loquitur, sed quo maxime tempore recitationes molestissimae fuerint *). Quod Plinius ep. I, 13 narrat: „Toto mense Aprili nullus fere dies quo non recitaret aliquis": casu factum est, et Plinius id ipsum miratur. Atqui si mos fuisset Aprili dumtaxat recitare, minime mirum fuisset, quod nullus fere dies praeteriit quo non recitaret aliquis, praesertim eo anno qui secundum verba praecedentia epistolae magnum proventum poetarum attulit. Denique Plinius (ep. VIII, 21) se Julio mense recitasse ait, sed hoc tempus delegit, ut quo maxime lites interquiescerent. Etiam propterea, quod alius alium mensem affert, de certo recitationum tempore non cogitandum est, sed nullo non tempore recitari potuit. — Magna in gratia recitationes apud coenam erant, ut Horatius dicit ep. II, 1, 109—110: „Pueri patresque severi fronde comas vincti coenant et carmina dictant", nimirum quae ipsi antea composuerant (cf. Heind. interpr. h. l.); et praecipue dominus coenae hac occasione utebatur, ut convivio recitaret (Mart. III, 45, 50; V, 79, 26; XI, 53).

Hoc loco non alienum esse videtur earum recitationum quae in quinquennalibus certaminibus habebantur mentionem facere, quamquam ab iis de quibus potissimum agimus aliquanto differunt et commissiones vocandae sunt, quod verbum minime, ut multi censuerunt, idem significat ac vox recitationis, sed certandi notionem in se continet, qua vox recitationis prorsus caret. De illis Suetonius (vit. Ner. c. 12) tradit haec: „Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae, more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia" et paullo infra: „Deinde in orchestram senatumque descendit et orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit (cf. Tac. Ann. XIV, 20). Apud Tacitum etiam nomen lustrale certamen reperitur (ann. XIV, 4) et apud eundem (ann. XIV, 21, 3) de utilitate eorum certaminum hoc memoratur: „Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas". Quum Neronia secundum celebrarentur, ipse imperator Nero carmen in scena recitavit et mox flagitante populo omnia studia sua publicavit theatrum ingressus (Tac. ann. XVI, 4). Ejusmodi oratorum et poetarum certamina etiam quotannis quinquatribus Minervae fiebant (Suet. Domit. c. 4), et illud certamen Graecae latinaeque facundiae quod Caligula Lugduni instituit (Suet. Calig. c. 20) non admodum di-

---

*) Errat igitur Weber cui (l. l. p. 19) »Domitiani aevo recitationes publicae mense Augusto habitae videntur.«

versum fuisse videtur. Quod postea Domitianus egit quinquennale certamen, ambiguum est, utrum ille tantum Neronia repetierit an prorsus novum instituerit. Dedicavit illud Jovi Capitolino, quare nomen ei est etiam ludis Capitolinis et certamini Jovis Capitolini, ut in inscriptione apud Gruter. p. 332, 3: „L. Valerio Pudenti. Hic cum esset annorum XIII Romae certamine Jovis Capitolini lustro sexto claritate ingenii coronatus est inter poetas Latinos omnibus sententiis judicum“ (cf. Weich. poet. Lat. rel. p. 255). Statius, qui in iis publice recitavit, victus est (cf. ejus Silvarum V, 3). — Addo de tempore quamdiu recitationes duraverint, singulas saepe non tantum per unum diem sed per duos et tres habitas esse (Mart. X, 70; L. Sen. ep. 122; Juven. Sat. I, 4; Plin. ep. III, 18, IV, 5, IV, 27; VIII, 21).

Convocabant recitaturi auditores aut ipsi coram *) (ad quod fortasse in dial. de causs. corr. el. c. 9 referendum illud „rogare ultro et ambire, ut sint qui dignentur audire“, quodque Graeci ludentes θυροκοπεῖν vocabant), aut per libellos (Mart. XIV, 142) et codicillos; quae verba cum apud Plinium (ep. III, 18: „non per libellos, non per codicillos“) expresse distinguantur, fortasse id discriminis inter ea intercedit, ut codicilli significent literulas quae justam invitationem continentes ad certos homines mittebantur, libelli vero schedas quae (nostris indicibus theatralibus similes) nominibus invitatorum carentes, quo die quo loco quid et a quo recitaretur, diligenter indicebant et inter diversissimos homines dispergi, aut columnis, aedibus infigi poterant **). — Saepe homines ad audiendum mercede conducebantur, de qua re Plinius ep. II, 14: „Hoc pretio (sex denariis) quamlibet numerose subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur.“

Fere omnes scriptores, ex quo primum recitationes institutae sunt, iis usos esse verisimile est, nisi quum vocis vitio aut alia re impedirentur. Certo constat recitasse Horatium amicis neque aliter unquam, ut supra memoravimus (cf. Ov. Trist. IV, 18), deinde Virgilium ***), qui teste Donato (in Virg. vit. c. XI) et Servio (ad Aen. VI, 862 IV, 324), excellenter pronuntiabat (cf. Mart. VIII, 28; L. Sen. ep. 101 extr. Gell. VII, 20), Propertium (Ov. Trist. IV, 10), Ovidium (Trist. IV, 10, 57, ex Pont. I, 2, 135—137), Livium (Thorbecke de As. Poll. p. 105; Suidas s. v. Cornutos), Martialem (epigr. VII, 28), Silium Italicum (Plin. III, 7), Plinium minorem (ep. III, 10; VII. 4), Juvenalem (Suet. in vit. ejus), Persium (Suet. vit. Pers. 8), Lucanum (Suet. vit.

---

*) Locus Horat. ad Pis. 474, quem Wiedeburg (in l. l. p. 325) de auditoribus voce invitandis interpretatur, de hac re nihil docet.

**) Aliter de libellis et codicillis judicat Weber in l. l. p. 26.

***) Virgilium, ut Weber (in l. l. p. 7) ex Propert. II., 25, 65 colligit, Propertio quasdam Aeneidis partes recitasse, etsi hoc non est sine veritatis specie, tamen ex illo loco non sequitur, quum statui possit illum carminis partes scriptas amico legendas dedisse.

Luc. 1), alios minus notos, quos enumerare longum est (cf. Plin. ep. III, 15, V, 9, V, 17 etc.). Etiam imperatores non dedignati sunt scripta sua recitare, ut Augustus, qui tantum in coetu familiarium recitans pronunciatione excellebat (Suet. Aug. c. 84—85), Claudius, qui juvenis ipse, imperator autem per lectorem recitabat (Suet. Claud. c. 41), Nero*) (Suet. Ner. c. 10), qui teste Dione Cassio (62) in theatro inspectante universo populo poemata quaedam sua de rebus Trojanis composita legit *), Domitianus (Suet. vit. Dom. c. 2, Mart. IV, 7), Numerianus (Flav. Vopiscus in vit. Num. init.); quae res recitandi studium auxit. Sed ita ne opus quidem fuit tali incitamento, ut jam eodem tempore, quo primum in consuetudinem venerunt, incredibilis insania recitandi scripta sua, sive mala essent sive bona, poetas invaderet. Horatius enim inter ea, quae impedirent se a carminibus scribendis et tempus suum consumerent, recitationes refert (Ep. II, 67) eique opprobrio fuisse quod publice legere carmina sua recusaret, ex ejus ep. I, 19, 41 sq. patet. Plinium de frequentia recitationum (ep. I, 13) dicentem supra citavi. Quid? quod Martialis neminem poetam dici posse, nisi recitet, declarat, quum interroget aliquem: „Nil recitas et vis Mamerce poeta videri?“ (epigr. II, 88). Mirari hoc non possumus propter multitudinem eorum „quorum digiti aliquod carmen metientes semper sonabant“ (Sen. de brev. vit. 12), quum jam Horatii tempore puerique patresque severi fronde comas vincti coenarent et carmina dictarent (ep. II, 1, 109—110). Vice versa frequentiam recitationum multos ad versus faciendos incitasse apparet.

Jam de habitu recitatorum nonnulla dicenda sunt. Pulpito occupato ii primum pauca praefari solebant, quibus se librumque commendarent (Mart III., 18; Plin. ep. VIII., 21). Legebant sedentes, ut Plinius (ep. VI., 6) dicit: Dicenti mihi sollicitus adsistit, adsidet recitanti“ et Persius (I., 17): „Sede leges celsa.“ Nonnulli gestabant focalia, vellera seu fascias, quibus aures, colla muniebant (Mart. IV., 41, VI., 41), ne frigore corriperentur neve obstrepentium clamore terrerentur; Martialis satis salse ea auditoribus magis convenire censet, ne audirent male recitantes (IV., 41, XIV., 142). Artes quibus hi favorem audientium captabant Persius depingit (sat. I., 15—18) sic: „Scilicet haec populo pexusque togaque recenti et natalitia tandem cum sardonyche albus sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur mobile collueris patranti fractus ocello.“ Procedebat igitur recitator barba et capillis comtis, vestibus a fullone candentibus, digitis annulorum ornamento pretioso splendentibus, voce medicaminibus purgata et firmata, oculis in lasciviam resolutis, qui (a Graecis hygroi appellati) favo-

*) Perperam Wiedeburg (in l. l. p. 323) Tac. Ann. XIII., 3 de recitatione interpretatur, quum Nero Claudii laudes dicens oratorem, non recitatorem se exhibuerit.

rem hominum ut tunc erant delicatorum conciliarent; denique cervicem singulari quodam modo inflectens (cf. v. 98). Similiter Horatius (ep. II., 2, 92—94) recitatores ridet: „Adspice primum, quanto cum fastu, quanto molimine circumspectemus vacuam Romanis vatibus aedem.“ Idem quantopere ii qui recitare soleant alius alium vereantur, l. l. 102—103 ostendit eosque ob eam caussam se ridicule invicem laudare ait (v. 97—102). Quod Martiale teste (II., 71) quidam ita fecit, ut specie quidem laudaret, revera autem obtrectaret; nam cum Martialis recitavisset, ille Marsi et Catulli epigrammata legit. In hac re cum plagiariorum recordatio facillime subeat, hic pauca de iis addam. Sic enim nominati sunt ii, qui aliena scripta pro suis recitabant, quod primus sed inscius Varius fecisse fertur, uxoris esse tragoediam ratus quam a Virgilio illa dono acceperat sed marito ut suam recitandam tradiderat (Serv. ad Virg. eclog. III., 20). Martialis saepius plagiarios objurgat (ut I., 30, I., 39, II., 20: „Carmina Paullus emit, recitat sua carmina Paullus, nam quod emas possis dicere jure tuum“ cf. XII., 64), ex quo tunc hoc furti genus non rarum fuisse colligas.

Vitium vero quod latius patebat et majori damno fuit, nimium recitandi studium erat, quod paullatim ad rabiem quandam processit et hominum taedium excitavit. Sic Horatius (Sat. I., 3, 85—89), si quis Rusoni feneratori aes deberet neque ad certam diem solvere potuisset, — hunc amaras ejus historias porrecto jugulo ut captivum audire coactum esse tradit, item alios ubivis coramque quibuslibet recitasse, dummodo cupiditati suae indulgere possent (Sat. I., 4, 36—37: „Quodcunque semel chartis illeverit, omnes gestiat a furno redeuntes scire lacuque et pueros et anus“). Quo factum est jam tum ut omnes detestarentur et fugerent recitatorem acerbum, et quo paucioribus is scripta sua legere posset eo miserior erat si quis illi obtemperaret; nam (ep. ad Pis. 475): „quem semel arripuit tenet occiditque legendo (cf. Mart. I., 64 de dolo cujusdam, qui Martialem rogavit, ut carmina sibi recitaret, quum ipse recitare vellet). Ovidius, qui vixdum juvenis factus publice recitare coeperat, (Ov. Trist. IV., 10, 57—58) recitationum adeo amans fuit, ut inter eas res quibus ille in exilio se carere dolet non levissima essent (Trist. III., 14, 39; IV., 1, 89; ex Pont. III., 5, 21 et 39—40), imo tam parum ad illud desiderium sustinendum valuit, ut postremo Getico sermone carmina scriberet ac Tomitanis recitaret (ex Pont. IV., 13, 19 et 33—36). Ne perfrictione quidem faucium nonnulli a recitando abstinebant (Mart. III., 18, Juven. I., 2). Martialis III., 44: „Et stanti legis et legis sedenti, currenti legis et legis cacanti, in thermas fugio: sonas ad aurem, piscinam peto: non licet natare, ad coenam propero: tenes euntem, ad coenam venio: fugas sedentem, lassus dormio: suscitas jacentem“ (cf. III., 64). Quae cum ita essent, „tali concurrebat nemo libenter, quacunque veniebat

fuga erat et ingens circa eum solitudo.“ (Mart. l. l.) Et Juvenalis maximopere indignabundus intolerabile ait sibi taedium afferre recitationes variorum carminum, quae insuper ingenti amplitudine sint et semper easdem vulgares et contritas res tractent (sat. I., 1—13), illasque ob eam rem inter gravissimas calamitates refert propter quas rus vel municipium aliquod Urbi anteponendum sit (Sat. III., 9 cf. Hor. ep. II., 104—105; ad Pis. 474; Mart. II., 88). Etiam vim et injuriam vulgi in recitatores importunos odium nonnunquam procreasse, ex Petronii verbis videmus hisce: „Ex his qui in porticibus spatiabantur lapides in Eumolpum recitantem miserunt,“ qui Eumolpus ipse dicit: „Imo quoties theatrum ut recitem aliquid intravi, hac me adventitia excipere frequentia solet,“ et paullo infra: „dum lavor paene vapulavi, qui conatus sum circa solum sedentibus carmen recitare;“ et: „si aliquis ex his qui in eodem synoecio potant nomen poetae olfecerit, totam concitabit viciniam et nos omnes sub eadem caussa obruet.“ In ista recitationum multitudine Plinius mirari non debebat (ep. I., 13) auditorum „desidiam et superbiam“ (träge Theilnahmlosigkeit und hochmüthige Blasirtheit: M. Hertz in l. l. p. 3), de qua haec narrat: „At recitationem pigre coitum est; plerique in stationibus sedent tempusque audiendi fabulis conterunt ac subinde sibi nuntiari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an ex magna parte evolverit librum; tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere“ (cf. III., 18: nunquam porro aut valde raro vacat Romae aut commodum est audire recitantem). Attamen recitationum audiendarum studium minime desiisse testis est Plinius (III., 18 etc.) et Juvenalis. Hic enim (in sat. VII., 82—87): „Curritur,“ inquit, „ad vocem jucundam et carmen amicae Thebaidis, laetam fecit quum Statius urbem promisitque diem: tanta dulcedine captos afficit ille animos tantaque libidine vulgi auditur.“

Ut recitarunt nonnulli imperatores, sic audire quoque non infra se positum duxerunt, ex gr. Augustus (Suet. Aug. 89 Tib. c. 61 Serv. ad Aen. Virg. IV., 324; VI., 862), Claudius (Plin. ep. I., 13), Domitianus (Mart. IV., 7), Alexander Severus (Ael. Lampr. vit. ejus c. 35 s. 44), Pertinax (Jul. Cap. c. 11). Feminas recitationes frequentavisse non satis compertum est quamquam Plinius (ep. IV., 19) de uxore sua haec dicit: „Eadem si recito in proximo discreta velo sedet laudesque nostras avidissimis auribus excipit.“ Denique breviter commemoretur auditionem a multis, maxime a scriptoribus qui gratiam sodalium sibi conciliare aut eam servare vellent, officium existimatum esse, quod Horatius (Ep. II., 2, 92 sqq.) nobis tradit hisce verbis: „Adspice primum, quanto cum fastu, quanto molimine circumspectemus vacuam Romanis vatibus aedem. — Multa fero, ut placem genus irritabile vatum, quum scribo et supplex populi suffragia capto: idem finitis studiis et

mente recepta obturem patulas impune legentibus aures." Cf. Plin. Ep. VIII., 12: Recitaturus est Titinius Capito, quem ego audire nescio magis debeam an cupiam etc. — Pecunia in iis de quibus hic agitur recitationibus ab auditoribus pro aditu nunquam soluta est, quod non solum earum naturae et consilio, sed etiam Juvenali contrarium diserte probanti repugnaret (cf. Juv. Sat. VII., 45 sq. 85 sq.), neque de ea re quidquam monerem, nisi versus Martialis (XII., 64): „Dic vestro, rogo, sit pudor poetae, ne gratis recitet meos libellos" leviter legentem in errorem inducere possent, quasi gratis esset sine mercede nec vero impune.

Assensum auditores exclamationibus significabant, quales erant sophos! (Mart. I., 4 et 50 et 77; VI., 48 Plin. ep. II., 14) euge! belle! (Pers. sat. I., 50 et 75) bellum hoc! (Pers I., 87) decenter! (Pers I., 84) pulchre! bene! recte! (Hor. ad Pis. 428), porro basiis (Mart. I., 4 et 77) quae plerumque manu jactata esse videntur, sed etiam ipsi recitatori dabantur (Plin. ep. V., 17); deinde assurgendo vel exsiliendo (Mart. X., 10; Pers. I., 81—82), brachiorum motibus et inprimis plaudendo; revocabatur quoque (sicut apud nos dacapo clamatur) recitator (cf. Hor. ep. II., 1, 222; Cic. Tusc. IV., 29, pro Sestio 56 §. 120; pro Arch. 8. §. 18); denique delectabatur Plinius silentio, sed acri et intento et cupido ulteriora audiendi (ep. II., 10). Homines inepti et donis corrupti adeo simulata admiratione et stupore pallescebant, flebant, saliebant terramque pedibus tundebant (Hor. ep. ad Pis. 429—430). Praeterea Persius castigat trepidationem, i. e. exsultationem indecoram, vocem non serenam i. e. exclamationes instar mollissimorum canticorum emissas, quas Plinius (ep. II., 14) ipso canticorum nomine designat (cf. Tac. ann. XVI., 4). Si recitatio displicebat, quod dicebatur frigere, a quo frigus et refrigerare (Plin. ep. VI., 15; Suet. Claud. c. 41, vit. Luc. 5): raro nec poetis insignibus palam sibilo aut alio signo id declaratum esse videtur, quum plausum in consuetudinem et debitum quasi officium cessisse ex Plinio appareat, qui homines quosdam non aperta assentatione laudavisse maximopere indignatur sic dicens (ep. VI., 17): „Recitabatur liber absolutissimus, hunc duo aut tres ut sibi et paucis videntur diserti surdis mutisque similes audiebant; non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique assurrexerunt saltem lassitudine sedendi. Quae tanta gravitas? quae tanta sapientia? quae imo pigritia, arrogantia, sinisteritas ac potius amentia?"

Finem et epilogum hujus disputationis faciat narratiuncula, quae alio loco apte inseri non potuit quaeque apud Plinium (ep. VI., 15) legitur his verbis expressa: „Passienus Paullus quum recitaret, ita coepit dicere: „Prisce jubes" ..... Ad hoc Javolenus Priscus: „Ego vero non jubeo!" Cogita qui risus hominum, qui joci!" Quam rem Plinius documento esse vult recitaturis; iis enim providendum esse non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant.